

# **Elegia**

Enricus de Settimello

## Liber I

Quomodo sola sedet probitas! Flet et ingemit, aleph!  
facta velut vidua que prius uxor erat.

Cui de te, fortuna, querar? Cui? Nescio. Quare,  
perfida, me cogis turpia probra pati?

Gentibus obprobrium sum crebraque fabula vulgi;  
dedecus agnoscit tota platea meum.

Me digito monstrant, subsannant dentibus omnes,  
ut monstrum monstror dedecorosus ego.

Mordeor obprobriis: de me mala cantica cantat  
vulgus, et horrendus sum sibi psalmus ego.

Fama per antiphrasin cantat multumque cachinnum  
de me ludificans impia turba movet.

Concutit a tergo michi multa ciconia rostrum,  
hic aures asini fingit, et ille canem.

Turba molendini, grex furni, concio templi  
in mea facundis vocibus acta sonant.

Si me commendet Naso, si musa Maronis,  
si tuba Lucani, vix bona fama foret.

Quem semel horrendis maculis infamia nigrat  
ad bene tergendum multa laborat aqua.

Fata neronizant in me: michi triste prophetant  
Astra poli, michi dat tristia signa polus.

O dolor, o pudor, o gravitas, o tristia fata!  
Sum miser et nulli sum miserandus ego.

O bona prosperitas, ubi nunc es? Nunc mea versa est  
in luctum cithara, fit lacrimosa lira.

O mala dulcedo, subito que sumpta venenas,  
queve recompensas mellea felle gravi!

O felix qui non est usus prosperitate!  
Namvenit ex sola prosperitate dolor.

Non sine felle suo dulcet fortuna nec albet  
absque nigredine, nec mons sine valle fuit.

Cui multum mellis, multum dedit ipsa veneni;  
mel vomuit primum felleus ille sapor.

Sic gravius cadit hic quem format forma gigantis  
quam nanus cuius parvula forma sedet.

Ut plumbum, gravius pluma paleaque lapillus,  
sic gravius cadit hic qui bona multa tulit.

Hic ego, qui fueram satur omni prosperitate,  
hoc verum fateor omnibus esse modis.

Numinis ambiguos vultus deprendo, novercam  
sentio Fortunam, que modo mater erat.

Sum miser et miseri nullus miserans miseretur:

in peius veniunt omnia dira michi.  
Temperat assidue pro me Fortuna venenum,  
quo sitit illa caput mortificare meum.  
Nil agit. Infelix, perii! Nequit ergo nocere  
amplius: extincto vulnera nulla nocent.  
Heu, quid agam, quid agam? Plorabo. Sufficit istud?  
Non, quia fata michi deteriora parant.  
Quid tibi, magne, tuli, quid, Jupiter? Unde nocendi  
ista sitis? Celo fulmina nulla tuli,  
Nec petii thalamos Junonis, nec volui, nec  
seva giganteis fratribus arma dedi.  
Cur michi, seve, noces? Cur? Cur? Dic. Â, Nescio. Â, Nescis?  
Ergo quid innocuo, Jupiter alte, noces?  
Hic nimis insanum redolet, caret et Salomone,  
qui nocet innocuo quique nocere cupit.  
Nam nimis iratus, nimis superbus et ultra,  
qui ferit insontem, crimine dante locum.  
Quid me persequeris igitur? Victori parva  
est miserum multis ledere posse malis.  
Desine. Quid mirum si Davum vincat Achilles  
et si Tersiten conterat Hector equo?  
Nam, quotiens miserum probus expugnare laborat,  
se misero similem nititur esse probus.  
Ad lacrimas redeo, quarum michi copia, quarum  
excursus salsis potibus ora bibunt.  
Est cibus anxietas, lacrimae sunt pocula, pena  
panis, vina dolor, est mihi vita mori.  
Quod patior, pallor loquitur maciesque figurat;  
indicat exsanguis turpiter alba cutis;  
nam facies habitum mentis studiumque fatetur,  
mensque quod intus agit nuntiat illa foris;  
internique status liber est et pagina vultus;  
exterior macies intus amara legit.  
Heu miser, heu demens, heu cecus! Semina mundi  
iratos animos in mea fata trahunt:  
est mihi terra nocens, ignis gravis, unda nociva;  
aer tristitia perfidiore nocet.  
Sic mihi septenis nocet impia turba planetis:  
quolibet in nostra morte planeta furit.  
Saturnus falcem, fulmen fert Jupiter, arma  
Mars, sol fervorem, dira venena Venus,  
Mercurius virgam, cupidus fert Luna sagittas:  
septem septena concitat arma cohors.  
Quo fugiam, vel quid faciam? Mors undique claudit,  
ne fugiam, cunctas imperiosa vias.  
Ve michi, ve misero, ve prosperitate carenti!

Ve cui scire datur quicquid in orbe nocet!  
Ex quo prima parens vetito ieiunia fregit,  
nullus in hoc misero tam fuit orbe miser:  
nec Titius lacerus, refugis nec Tantalus undis,  
nec male qui rexit lora paterna puer.  
Orbatus Niobes, Job vermes, sibila Cadmi,

hec collata michi prosperitate vigent.  
Ergo quis infelix patitur peiora? Quis ille  
Tristanus qui me tristia plura tulit?  
Obruor oceano, sevisque reverberor undis,  
nesciet hinc reditum mersa carina suum.  
Decidit in cautes incauta carina, procellas  
sustinet innumeras invidiosa ratis.  
Me si tanta pati natura volebat amara,  
ponere debuerat perfidiore loco:  
aut gelida Sithia, nimio vel solis in ortu,  
aut ubi soligeris concidit ardor equis,  
aut ubi perfidior quadrangulus orbis habetur,  
vel quo perpetuum torrida zona calet,  
aut aliquo peiore loco qui gente vacaret,  
quo minus obprobrii cognita fama foret.  
Dulcius est miseris aliena vivere terra  
quam propria, male qua singula probra patent.  
Malo meum sciri longinquis dedecus Indis  
quam quos vicinos efficit ipse locus.  
Hic inter notos socios, miser, inter amicos,  
quod nugar querula fertilitate, premor.  
Omnibus invideo melioribus: invida semper  
mens tantum rodi pro meliore solet.  
Quot sub sole vigent, fateor me tot meliores:  
sim licet Arturus, qualis habebor ero.  
Omnibus invideo; nullus michi: mens dolet hinc quod  
reciproca caret hinc transitione dolor.  
Nam caret invidia miser, immo miserrimus ille  
qui nimis omnimoda prosperitate caret.  
Quid sim, quid fuerim, cuias, ubi, quid vocer, unde  
natus, homo vel humus nescio, mentis inops.  
Me domini, sotii noti, quod maius, amici,  
Â, pro scelus! Â, in medio deseruere mari.  
Dum Zephyrus flabat, multis comitabar amicis;  
nunc omnes Aquilo, turbine flante, fugat.  
Ut phylomena canens frondes sonitumque canorum,  
et nemus et silvas, frigore tacta, fugit,  
sic, hiemis casus horrendaque nubila vitans,  
omnis in adversis rebus amicus abest;

delicias veris sequitur; sed tempora brume  
deserit, alato remige, falsus amor.  
Vultur edax, corvusqueniger, presagaque cornix  
ventris ad ingluviem semper adesse parant.  
Leccatrix mel musca, lupusque cadavera: sic nunc  
predam, non homines, gens parat ista sequi.  
Vilis amicitie species, quam quelibet aura,  
quam variis variat fluctibus orba dea.  
Si tales olim Eurialus Nisusque fuissent,  
non durasset eis ille perhennis amor.  
Verus amor miserum non dedignatur amicum:  
vera fides tantum nescit amena sequi.  
Participat flores et grandem grandinis iram  
inconcussa fero turbine vera fides.  
Taliter unanimes loquitur scriptura sodales  
quos strinxit vero vimine verus amor.  
Prevalet hoc solo mala sors, quod monstrat amicos,  
qui bene, qui male; sic monstrat utramque fidem.  
Ut fornax aurum, navem mare, mucro catenas,  
sic gravior corda casus amica probat.  
Nam citius sotiis sotiabitur unica phenix,  
atque lupi citius pace fruetur ovis;  
et prius Arthurus veniet vetus ille Britannis,  
quam ferat adversis falsus amicus opem.  
Job, collata meis, angustia vincitur, inde  
quod coniux fuit et trinus amicus ei;  
ast ego desertus non illam cerno, nec illos:  
me preter nichilum constat habere nichil.  
Si Codrus foret hic, essem nunc codrior illo:  
nam nichil hic habuit, ast ego plura nichil.  
Tot mea sunt quod non sine meretina iaceret:  
si foret hoc verum: " Pauper ubique iacet. "  
Temporibus cunctis ieiunus prosperitatis,  
morte minante, minis asperiora gemo.  
Ver dedit inditium, febrem mala contulit estas,  
nutriit autumpnus, frigida pascit hiems;  
nocte dieque malum me sciphis potat amaris,  
ut vigeant in me gaudia nulla mei.  
Luce queror, lacrimas fundo, suspiria ructo,  
scindo genas, plango pectora, rumpo comas.  
Colloquium turbe tamen est solatia luce,  
et minuit penas lectio crebra meas.  
Nocturna longe minor est angustia lucis,  
que mea multimodo corda dolore ligat.  
Nocte furit Furiis nimium Furor impius in me,  
qui mea maiori vulnere corda forat.

Nocte gemo, gemino gemitus cumulusque dolorum  
crescit, corque coquit crebra gehenna meum.  
Ve michi! Sermo meus mea fabula crebra dolenti,  
dum tali mecum voce dolendo loquor.  
Sevit et innumeris cor lanceat ira sagittis  
penarumque fero turbine turba furit.  
Volvor et evolvor; lectus, bene mollis, acutis  
urticat spinis tristia membra meus.  
Nunc nimis est altum, nimium nunc decidit, unquam  
pulvinar medium nescit habere modum.  
Nunc caput inclino, nunc elevo, parte sinistra  
nunc ruo, nunc dextra, nunc cado nuncque levor,  
nunc hac, nunc illac, nunc sursum, nunc rotor infra,  
et modo volvo caput qua michi parte pedes.  
Non ita stare queo: surgo lectumque revolvo;  
sic modo volvo pedes qua michi parte caput.  
Nec sic esse queo: proprio maledico clienti  
quod male cum lecto me facit esse meo.  
Vocibus iratis insontem clamo ministrum:  
"Huc, miser Ugo, miser, huc, maledicte, veni.  
Quid facis, Ugo? Iaces? Lectus meus iste quid est hoc  
quod male cotidie sternitur? Unde locus?"  
Tunc ipsum colaphis et pugnibus verbero duris  
et sibi quod patior verbere vendo malum  
Volvit et evolvit plumamque reverberat ulnis  
et modo que tulerat vindicat acta puer.  
Tunc iterum iaceo. Dormire puto. Nichil est quod  
uno momento firmiter esse queam.  
Sic solet arboreas Boreas evolvere frondes,  
sic rota mortales, sic aqua seva rotam.  
Nunc calor ignitus, nunc frigus membra gelatum,  
nunc, hostilis ei, sudor aquosus habet.  
Tunc gemo, tunc oculi lacrimas, sua pocula, potant,  
immo vomunt gemino fonte rigante genas.  
Si sopor irrepsit, quod rarum, sompna ludunt  
multimodis animos motibus egra meos.  
Mergor in Oceano, tenuem taxillor in assum,  
armatos video currere sepe deos.  
Flumina parva fluunt, aret mare, corruiat Athlas,  
et geminas fortes concutit orbis aves.  
Sum velut implumis quam rodit in ilice cadmus,  
que diro matrem carmine clamat avis.  
Sum velut esuriens qui sompniat aurea tecta  
usibus et vestes pauper habere suis.  
Sum velut expectans properantem rusticus amnem,  
qui cupit excursis pergere siccus aquis.

Sum velut elusus quem detinet alea lusor,  
qui cum perdiderit perdere plura parat.  
Sum velut insanus qui, cum plus leditur, hic plus  
fustibus et iactu liberiore furit.  
Ha nimis infelix qui sustinet innumeranda,  
qui patitur numeris omnia plura suis.  
Tot mala, tot penas patior, quod, si quis arenam  
conferat in numero, cedit arena meis.  
Pagina sit celum, sint frondes scriba, sit unda  
incaustum, mala non nostra referre queant.  
Tam gravibus ledor quod non peiora timesco:  
qui summe miser est, plus nequit esse miser.  
Sit maledicta dies, in qua concepit et in qua  
me mater peperit, sit maledicta dies.  
Sit maledicta dies qua suxi pectus et in qua  
in cunis vagii, sit maledicta dies.  
Sit maledicta dies vite: de ventre sepulcro  
me transmutesset, o Deus, illa dies!  
Cum dabat ubera mater, ne malatantaviderem,  
debuerat iugulis presecuisse caput;  
mortua nam melius ascondere membra sepulcro  
quam vivendo pati deteriora nece.  
Omnia coniurant in me: Pater alme, misertus  
succurras misero, spes mea, summe Pater.

---

## **Liber II**

Plange, miser, palmis, Henrice miserrime, plange,  
et caput et dura pectora plange, miser.  
Me sibi privignum Rannusia, dira noverca,  
ardet in horrendis perpetuare malis.  
Est Fortuna michi serpente neronior omni;  
nam serpens fugit, at sepius illa fugat.  
Quando michi tribuet sors prospera prosperitatem?  
Non hodie, nec cras, quod puto, forsitan heri.  
Cum me blandifero respexerit alea vultu,  
Arne, retro properans fonte recurre tuo.  
Quam male fructificat que numquam floruit arbor!  
Spes quoque messis abit cum male germen obit.  
O pudor, o timor, o dolor, o mala tedia vite,  
o comes assiduus plusque furore furor!  
Quid faciam? Vos hoc mea dicite turba dolorum;  
nam vos auxilium consiliumque meum.  
O Deus, o quare subito Fortuna rotatu  
cuncta molendinat mobiliore rota?

Sors mala, sors peior, sors pessima, sorsque maligna  
facturam turpi protheat arte tuam.  
Hanc, Pater, hanc animam, misero quam carcere tridis,  
hanc lacrimis plenam suscipe, redde polo.  
Alme parens, animam, quam pene turba flagellat,  
suscipe quam stigiis tritat Erinis aquis,  
quam ferit Alecto, quam Thesiphoneque fatigat,  
cui Fortuna nocet quave Megera furit.  
Ergo pium pietas te reddat, ut impia cesset  
Alecto, miserum que lacerare sitit.  
Tu quoque, vesani promptissima causa doloris,  
asculta et celerem, perfida, siste rotam.  
Verberibus preceps diris, fortuna, quid est hoc  
quod caput affligis, insidiosa, meum?  
Quo rapis, o fera, me? Cresum facis, impia, Codrum,  
Nestora Tersitem, turpius ausa nefas.  
Numquid ego Scarioth? Numquid sum Pontius, unde  
tam graviter meruitaflagella pati?  
Stulta, quid insanis? Caput hoc, caput hoc quid acerbis?  
Pone modum sceleri, perfida, pone modum.  
Deficiunt alii, me solum sola fatigas?  
Sed videas quid agas, ultio rara perit.  
Prospice ne tua te penarum turba sagittet:  
nam ferit actorem sepe sagitta suum.  
Heu, quid agis, quid agis? Quid me, quid, perfida, perdis?  
Pone modum sceleri, perfida, pone modum.  
Dic mihi, quid feci? Responde, lingua dolosa,  
responde per eum qui super astra sedet.  
Si nobis, vesana, tui si copia detur,  
dilacerata feris turpiter esca fores.  
Quis furor? Unde furis? Quid me, furiosa, lacessis?  
Pone modum sceleri, perfida, pone modum."

Talibus orba suas dictis dea prebuit aures;  
hec ait et celerem circinat ipsa rotam:  
"Quid mea mordaci laceras vaga facta Camena;  
quem fore plus misero plusque dolente dedi?  
Nonne meo mundi clauduntur regna pugillo?  
Nonne meum regnum climata cuncta tremunt?  
Grecus et Ebreus, et Barbarus atque Latinus  
me timet, exhorret, me veneratur, amat.  
Nonne potestates mundi mundique minora  
imperio cogo subdere cuncta meo?  
Nuper Alamannus, Siculam delatus in oram,  
ludendo feriã m perdidit ipse suam.  
Perdidit hic equites, rochos peditesque minores,



perdidit alphinos: vix bene tutus abit.  
Meque Saladinus, nimium vexilla salutis  
expugnans, hostem sentiet esse suam.  
Quid referam veteres quorum fert fama ruinam?  
Mater Pompeio, deinde noverca fui.  
Ubera sic Dario, post verbera, mellea Cyro,  
fellea post, nutrix ingeniosa, dedi.  
Tu quem fama silet, quem noscit dedecus, iram  
obprobriis laceras, obprobriose, meam.  
Quidve minas agitas? Reuses pro crimine lese  
Maiestatis, et hoc tota propago luet.  
Prospice quid facias, nondum perit omne venenum,  
et mea vis nondum desinit esse mea."

"Que peiora potes, meretrix fortuna, noverca  
pessima, Medea dirior, Ydra ferox?  
Deveni ad nichilum: restans michi spiritus ossa  
non habet, in quo nil hec tua probra valent.  
Morte nocere putas? Foret hec michi vita salubris:  
duplicior mors est morte carere mihi.  
Quam letus, quacumque Deus donaverit hora,  
suscipiam! Post hanc stercus in ore tuo.  
Quid totiens varias sumis, furiosa, figuras?  
Nunc alacris rides, nunc lacrimosa gemis,  
Floridanunc, nunc sordida; nunc nigra, nunc rubicunda;  
Aurea nunc, nunc es sordida facta luto.  
Protheus esne? Vagusne movet tua viscera ventus,  
vel tua diabolus viscera crebra movet?  
Semper es inconstans, vaga mobilis, aspera, ceca,  
instabilis, levior, perfida, surda, fera."

Tunc et subridens: "O quanto pulvere noctis  
humane mentis lumina ceca latent!  
Nunquid obaudisti: "Sermones ponderet unus  
quisque suos: sapiens cogitat ante loqui?"  
Legibus indictis utor; si legibus, ergo  
iustus; si iustus, iure fit, ergo bene.  
Nonne sua licite sic quilibet utitur arte?  
Quod sibi sors dederit utitur omnis homo:  
miles equis, piscator aquis et clericus hymnis,  
nauta fretis, pugiles Marte, poeta metris.  
Rusticus asper arat, numerat mercator avarus,  
virgo legitflores, stultus amator amat.  
Ast ego, que dea sum, qua nulla potentior orbe,  
quem ligat Oceani circulus orbe suo,  
nonne meam licite, stultissime, prosequarem?"

Sic opus est ut te precipitando rotem.  
Ergo vide quid agas. Sapiens deliberat ante  
quam faciat; sic tu premeditare, miser.  
Ha, genus humanum mea quantis asperat acta  
morsibus, atque meum dentibus occat opus!  
Si sibi divitias digitis porrexero laxis,  
laudibus extollor imperialis ego:  
tunc ego summa parens et tunc reginaverenda,  
tunc dea summa, deo preferor ipsa Iovi.  
Sed si forte meam retinentem clausero dextram,  
morsibus et stimulis mordeor ipsa feris:  
tunc ego periura, tunc turpis adultera dicor,  
tuncque sacerdotem me vitiasse ferunt.  
Tu modo; sed quare me dentibus asper acutis,  
infelix, laceras colloquique tuis?  
Arbitrio loqueris: nam iuris pondus abhorres  
et dedignaris de ratione loqui.  
Se docet iniustam causam partemque tueri  
qui solis probris certat iniqua loqui;  
sic solet ignavus, cum desunt verba, sophysta  
garrulus, ut videant, voce tonare, sui.  
Sic quoque, cum desunt tibi iura, recurris ad ipsam,  
quam bene novisti, garrulitatis opem.  
Ergo si qua tuis, quod non puto, mentibus herent  
iusta, refer; vel tu, quod magis oro, sile."

Tunc ego: "Vesanum, meretrix Rannusia, monstrum,  
num licet hoc solum verba referre michi?  
Tu facis et dicis: laceras me, perfida, factis,  
improperas post hec facta nefanda michi.  
Nunc scio de facto quod semper culpa redundat  
in miserum, qui non unde tuetur habet;  
lis quotiens oritur aquilas atque inter olores,  
culpa solet minimis semper iniqua dari;  
sic quotiens certant Acteon rexque ferarum,  
pessima qui minor est iura fovere ferunt.  
Et quotiens rabies sevit Germanica Tuscis,  
oppida testantur lenia, fracta, fidem.  
Tu quoque me. Sed si vim vi depellere possem,  
vel taceas, tua vel parcior ira foret.  
Cautius ergo tuas satyras, inimica deorum,  
insere, vel tibi que sunt recitanda vide:  
nam male castigat socios quem crimen eadem  
labepremat pariter quam removeere studet.  
Sic Paris Egidem, sie Lucius ille Cethegum,  
sic quoque retrogradum mater aquosa suum."

Non igitur studeas alios dampnare quod in te est,  
ne cadat in barbam pena pudenda tuam.  
Nam fatuum nimis est aliquem dampnare seipsum,  
quod tibi ne facias, litigiosa, cave.  
Tuleviset leva, tu preceps, tu furiosa,  
tu ratione carens nescis habere modum.  
Me feris inque furis, laceras me meve laccessis,  
et latus et latum destruis omne meum."

Tunc ea: "Non unum mecum lucrabere nummum,  
qui dominam queris dedecorare tuam.  
Namque suo servus domino luctando repugnans  
calcitrat in stimulum perfidus ipse suum.  
Discant mortales dominos proprios venerari:  
nam qui fraude nocet, fraudibus ille perit.  
Numquid Alexander, numquid tu Cesar es? Unde  
tantasuperbia, vel tantus, inique, furor?  
Tu quis es? Unde furis? Te scimus et unde fuisti,  
que sit origo tui quique fuere patres.  
Te decet horrendis versare ligonibus arva,  
quod genus agresti postulat arte tuum,  
Et quis es? Unde venis? Cro, cro! Vesane, recede  
et geme perpetuum perpetuumque late.  
Quicquid agas, quicquid dicas, quicquid patiaris,  
non facis ut retrahas quod mea dextra trahit.  
Sic ego primatum venerandaque sceptrata tenebo,  
et pro velle meo mel tibi felque dabo.  
Tu formica brevis, mus parvus, nanus inanis;  
quid michi, quid facies, nane pudende? Nichil.  
Nil tua probra, minas, generalis yconomia rerum  
curo, sed in cathedra glorior ipsa mea.  
Non minus unguipotens volucres leo papiliones,  
nec Polis angustum Tiburavara minus,  
nec minus archivolans tremulas generosa cicadas  
quam tua, vaniloquax, verba minasque tremam.  
Quid tua sanna potest? Si quis derisor, et ipse  
derisus turbis omnibus esse solet.  
Nictimene sonitu deridet nocte volucres;  
numquid eam lacerat cetera turba die?  
Sic qui derident alios ridentur et ipsi:  
nil magis in populis est generale nota.  
Ergo quiesce, miser: miser, ergo quiesce, quiesce!  
Nam leve verba potes ferre, sed acta gravant."

Tunc ego: "Deliris stomachor, Rannusia, dictis,  
dum michi probra tuis obicis, orba, metris.

Dum mea veriloquis recitas convitia verbis,  
nil gravius vero sevir ira tenet.  
Non opus est verbis, gladio qui percutit hostem:  
nam satis ad vulnus sufficit ensis atrox.  
Improperasne michi genus? Usuraria, monstrum,  
fronte capillata sed retro rasa caput.  
Simia non es, turpior es, turpissima rerum  
res es, nescio quid, quam nichil esse velim.  
Sim licet agresti tenuique propagine natus,  
non vacat omnimoda nobilitate genus:  
non presigne genus, nec clarum nomen avorum,  
sed probitas vera nobilitate viget.  
In tenui calamo latitat mel sepe suave,  
et modici fontis temperat unda sitim.  
Nil tremis. Unde locus? Bucifal sepiissime muscis  
et formicarum sepe fit esca lupus.  
Nil adeo validum, quod non quandoque teratur  
hoc et ab invalido, sepe videre potes:  
vomere humo, lapis unda, pollice gemma, quid ultra?  
Sepe quod est solidum frangere molle solet.  
Non semper Marium, nec semper sepe rotatum  
volvitis Apollonium: fortior alter erit,  
qui redimens mea probra fero pugnabit agone  
et tibi forsitan atrox auferet ille caput."

Tunc ea: "Pacificis loquar ex ratione loquelis,  
si placet et mecum pacificare velis.  
Despicerer nimium si starem semper eodem,  
vel bona, vel mala, vel inter utrumque manens.  
Omne quod est crebrum nimio vilescit in usu;  
omne quod est rarum carius esse solet.  
Pulegio piper est generosum vilis Indis,  
vilior herbicolor cautibus iaspis ibi.  
Carior est grisea gelidis clamis aspera Gotis  
qua fera carnificis dextera nudat ovem.  
Bononie claro plus milite carus habetur  
durus et horrendus, Marte furente, pedes.  
Non adeo potes ipse queri: tibi sepe benigna,  
et quamvis nunquam prodiga, larga fui.  
Nunc ego, nunc tibi proposui clementior esse,  
si libet, et mecum pacificare velis."

"Absit, iniqua canis, me tecum pacificare,  
sed tibi pacificet, seva, brunellus iners;  
nam tibi nulla fides, nullus modus, ordine nullo  
vivis, et est socius pro ratione furor."

Tunc ea: "Iudicio non tecum stare recuso,  
ut videat lex hoc iustiniana scelus.  
Si bene dicis, habes quod abest, ius et rationem;  
si male, preceptis ergo quiesce meis."

"Ni melius quam iura scias, ignara, rotatus,  
staret quem giras orbis in orbe tuo  
Sistere iudicio furiosi lege vetantur;  
ergo tibi ius, cum sis furiosa, vetat."

Tunc ea: "Vade ferox; hostis meus esse memento."  
"Tu quoque vade; hostis esse memento mea."

---

### **Liber III**

Cum mea lamentans eleica facta referrem,  
et eum Fortune verba inimica darem,  
ecce nitens proba, que salomonior est Salomone,  
ante meum mulier lumen amena stetit,  
quam facies helenat, variat quam forma vicissim:  
nunc celum, nunc plus, nunc capit illa solum.  
Hanc Fronesin dictam septena cohors comitatur;  
prebuit officium cuilibet illa suum.  
Prima fovet pueros, alia silogizat, amenat  
tertia colloquiis, perticat illa solum,  
hec abacum monstrat, alia philomenat, et altum  
erigit ad superos septima virgo caput.  
His predicta dea sedit comitata deabus,  
et quasi compatiens mis patientis ait:

"Que lethea tuus potavit pocula sensus?  
Quo tua dormitat mens peregrina loco?  
Certe cecus es et tua mens exorbitat: illud  
tantillum nescis, quod scola docta dedit.  
Heu quantum pateris! De sola mente dolesco,  
quod tuus hoc peregre tempore sensus abit.  
Si foret hic Ypocras et tota medela Salerni,  
morbida non vel vix mens tuasanaforet:  
nam nequit antiquum medicina repellere morbum,  
quodque diu crevit durat in esse diu.  
Heu, doleo super hoc, quod mentem perdis et omni  
brutescis sensu, bestia factus homo.  
Quid tibi cum lacrimis? Lacrimarum copia nullum  
participem voti debilis esse facit.

Qui gemit ingeminat sua dampna, dolore dolorem  
ampliat et duplici funere vivus obit.  
Quid tibi et iniuste Fortune? Multaque semper  
passus es obprobriis vincula propter eam.  
Visipsam non esse vagam? natura repugnat,  
que dedit instabilem semper et esse vagam.  
Seminat in spinis nature iura retractans,  
garrula divelli rana palude nequit.  
Qui cupit auferre naturam seminat herbam,  
cuius in Arturi tempore fructus erit.  
Te nimis aura rotat nimiumque moveris amaris,  
et nimium stolidum te facit esse dolor.  
Non hominem redolens hominis denigrat honorem,  
qui nequit adversis prospera iuncta pati.  
Utitur ignare dulci, non usus amaro:  
namque per oppositum noscitur omne bonum.  
Disce gravanda pati: patientia temperat iram  
et duros animos mentis oliva domat.  
Nonne recordaris, veluti, stimulante tyrampno,  
moriger innocua Seneca morte perit?  
Nonne meus Severinus inani iure peremptus  
carcere Papie non patienda tulit?  
Nonne cupidineus metrosus Naso magister  
expulsus patria pauper et exul obit?  
Quid referam multos, quorum sine crimine vita  
verbera Fortune non patienda tulit?  
Silva capillorum numeratis cederet illis,  
quos necis immunes inclita vita dedit.  
Aspera ferre decet: maturant aspera mentem  
et bene matura plenius uva sapit.  
Per nimios estus gelidas transitur ad umbras,  
sicque per oppositum dulcia querit homo.  
Laurea pro pena, pro morte corona resultat:  
unde laborat homo, premiat inde labor.  
Quid facis, inmunde, mundique inmunda quid optas?  
Inmundus mundus que tibi munda dabit?  
Vivere, stulte, putasne per omnia secula? Per fe'!  
Factus es insanus credulitate tua.  
Insani sane capitis gravitate laborat  
qui putat hoc mundo vivere posse diu.  
Sensus abit tuus et tuus intellectus oberrat,  
et tua letheis mens peregrinat aquis.  
Dic, ubi sunt que te docuit Bononia quondam?  
Hec, ego, dic, ubi sunt que tibi sepe dedi?  
Te multum fovi, docui te, sepe rogavi,  
et mea secreta sepe videre dedi.

Tu mea vitis eras, tu palmitis umbra novelli,  
tu fructus validam spem michi sepe dabas.  
Te rastris colui, te sepis vimine cinxi,  
et lapides ex te et cuncta nocenda tuli.  
Tempus adest fructus, vitis dedit ipsa labruscas,  
proquerosacrevit aspera spina diu.  
Heu, cadit in spinis quod ego in te semino semen,  
et mentem spina suffocat ipsa tuam!  
Quod loquor et moneo, quod semino, suscipit ipsa  
que male multiplicat semen arena suum.  
Tu nimium tuus es, nimis et tibi credis, inepte,  
et solus credis providus esse Cato:  
phylosophus nimis es nimiumque platonior ipso,  
ultra phylosophos mens tua sepe fluit.  
Absque labore sequi (pitagorica cornua cerne)  
virtutem dextro limite nemo potest.  
Est alia furca facilis descensus Averni,  
ut docet archiloqua voce poeta Maro.  
Non sine sudore probitatis scanditur arbor,  
nec sine sudore martiapalmavenit.  
Laudo te, sed in hoc non laudo quod ipsa caduca  
aufugisse citis gressibus orbe gemis.  
Pro dolor! Unde doles, dolor? Unde tilmes, dolor? Unde  
ploras? Que tua sunt, o miseranda cinis?  
Primitus in mundo tecum tua quanta tulisti?  
Nudus eras primo et postea nudus eris."

Tunc ego: "Mira refers. Quid et hoc est, vera sophya,  
quod dicis? Nimis est hic mihi sermo gravis.  
Quis modo tam mitis, tam dulcis tamque benignus,  
quem nimis hec ultra non ferat ira modum?  
Non ego, eum videam paleis postponere grana,  
cum superet molles nunc saliunca rosas,  
cum fructus hodie ante suos paret edereflores  
arbor abortivis prodigiosa comis,  
cum quod (grande nefas!) tolluntur ad alta nefandi  
et premitur vita deteriore probus.  
Dic michi, qui mores, que vita, quis ordo Neroni  
Urbis et orbis opes imperiumque dedit?  
Ecce (sed id taceo) multi, probitate vetante,  
nomen habent, quibus est nominis umbra pudor."

Tunc ea: "Deciperis, nec te ignorantia iuris  
excusat; nimis es, imperiose, rudis.  
Quam gravis hic labor et quam magna industria mentis  
noscere veraci cognitione probos!

Sepe bonos mendax mentitur opinio pravos  
atque e converso promovet ipsa malos.  
Omnis que niveo volucris plumescit amictu,  
non est, si simulet, vera columba tamen.  
Sepe sub agnina latet hirtus pelle Lycaon,  
subque Catone pio perfidus ipse Nero.  
Econtra, bene scis, inter latet hispida mollis  
tegmina sanguineo tincta ruborerosa,  
tamque duces claros, Itacum prolemquePhilippi,  
membra per obscuros littera prisca refert.  
Multa vides igitur, faleris circumdata fictis,  
que se longe aliter quam videantur habent.  
Iniustos habuisse doles fastigia rerum:  
longa tibi status hic causa doloris erit.  
Quam sit ad alta trahi miserum mortalibus omen  
nescis; si scires hoc, siluisse velis.  
Promovet iniustos Fortuna volubilis, ut quos  
scandere precipites fecit, ad ima rotet;  
nam graviore ruit turris tumefacta ruina,  
et gravius pulsat alta cupressus humum.  
Mens hominum quantis errorum ceca tenebris  
mergitur, ut reputet sola nefanda bonum.  
Non felix qui non ubi crescat honore, sed hic qui  
non ubi decrescat, quo neque possit, habet.  
Ve tibi, ve, mortale genus, quod semper ad alta  
niteris ut lapsu perfidiore cadas!  
Hic gladios, hic pocula sevus et hostis et hospes  
temperat, interitus dira venena sui.  
Aspice, cui totiens Capitolia celsa triumphos  
obtulerant, famulum fata tulisse suum.  
Aspice quem Babilon cupido potavit in auro  
fataque quam tulerit Cesar acerba suis.  
Nonne ferox Macedum protectus ab hoste tyrampnus  
corda venenatus inter amica perit?  
Quid Darium referam, quid Cyrum, quidve Neronem?  
Namtenui semper stamine pendet honor.  
Ecce modernorum priscis exempla relictis:  
paupertate nichil tutius esse potest.  
Unicus ille leo, fidei vigor, unicus imo  
murus et hostilis unicus ille timor,  
dux ferus et nostre Corradus causa salutis,  
(Cur? Quia magnus erat.) proditione perit.  
Qui modo regnantes et fortes fregerat arces,  
cui genus et census robora dura dabant,  
nuper (ve misero!) sub paupertatis amictu  
captus et inclusus Anglicus acta luit.



O cecum mortale genus, quid tutius ergo  
paupertate? Fere nil: nichil absque fere.  
Vade per Yspanos, et nigros vade per Indos,  
vade per insidias, vade per omne nemus,  
vade per hostiles cuneos turmasque latronum,  
dummodo sis verus, tutus, egenus, eris.  
Quid faciet vacuus coram latrone viator?  
Letus et intrepidus fundet ad astra melos.  
Quid rutili torques, quid prosunt ergo thiare,  
quid sceptrum, quid honos, quid locusve satur?  
Quidve magistratus et quid pretiosa supellex?  
Paupertate nichil tutius esse potest."

Tunc ego: "Scire velim, si non nimis esset onustum:  
mundus an hic vene deterioris erit,  
an proprium, quod amo, scelus exuet an magis isto  
qui iacet infelix stabit in esse suo?  
Dic tamen Â, unde supra memini bene Â, cur retulisti:  
"inmundus mundus que tibi munda dabit"?"

Tunc ea: "Vix umbram gerit hoc: preludia rerum  
solvere propositum luciditate queunt.  
Nunquid ad argentum puro devenimus ab auro?  
alter ab argento cursus ad era fuit,  
tertius in ferrum fit cursus ab ere, quod et nunc  
decidit in, cursu deteriore, lutum.  
Deficiente luto, quid erit? Veniemus ad ipsum  
stercus et in tali feteat omnis homo.  
Ecce vides quantis putrescit sordibus iste  
mundus, et hoc ipsum nomen habere nequit.  
Omnia degenerant, peioribus omnia currunt  
cursibus, et, fracto remige, navis abit.  
Mundus amat, spernit, tenuat, secatur, abhorret:  
pessima, iustitiam, iura, nefanda, bonum.  
Mundus alit fraudes, refovet scelus, arcet honesta,  
recta fugit, violat federa, fera cupit.  
Ipsa, caput mundi, venalis curia pape  
prostat et infirmit cetera membra caput.  
Sacrum Â, cerne nefas nostroque pudenter evo Â,  
venditur in, turpi conditione, foro:  
crisma sacrum, sacer ordo, altaria sacra, sacrata  
dona; quid hec ultra? Venditur ipse Deus.  
O sacra, que sacras maculant commertia sedes!  
O sacra que faciunt celica templa forum!  
Tale, tuus mundus, si mundus iure vocatur,  
tale frequentatum sudat habere forum."

Ecce Â, sed ista pudet Â, circumvaga turba, scolares  
sectantur propria venditione forum.  
Citra legis iter, pro, tam pretiosa propago  
venit servili conditione, dolor!  
Libertas vitiata fugit: nunquamque vocari  
ingenuum talem de ratione decet.  
Ecce, nefas! sese, stimulante cupidine, nupta  
vendit et innupte contingit illud idem.  
Si foret, ut quondam Lucretia, casta, crumena  
cum sibi porrigitur, cedit avara tibi.  
Penelope, vidue sue mercenaria vite,  
ad nummi sonitus audiet illa preces.  
Venditur, o dolor, omnificis sententia nummis,  
iudiciumque pium copia frangit opum.  
Deviat a vero corruptus munere iudex,  
falsilocumque facit ius piagazapium.  
Luxus edax livorque macer, cocus ardor habendi  
vastat opes, mordet optima, corda cremat.  
Pestis adulatrix Â, pro! Â, ficto risula vultu,  
cuncta potest, satrapis delitiosa comes.  
Ecce suo Pilades Â, scelus! Â, insidiatur Horesti,  
nuptaque sub proprium sannat iniqua virum.  
Clericus edoctus, miles rudis et leve vulgus  
negligit, horret, alit: iura, modesta, malum.  
Migrat in exilium virtus vitiumque triumphat,  
regnat et in populis grande tribunal habet.  
Nescio quo ceco lenita papavere dormit  
mensque Creatorem nescit iniqua suum.  
En iterum toto lingua crucifigitur orbe,  
en iterum patitur dira flagella Deus!  
Vespasiana manus iterum consurgat et omnem  
diruat Oceanum qui scelerata patrat.  
Factorem factura suum, stimulante tyrampno  
delicti, factis despicit orba suis.  
Inde fames venit, inde gravis discordia regnis,  
inde Cananeis preda cibusque sumus,  
inde premit gladius carnalis spiritualem,  
et vice conversa spiritualis eum.  
Hinc subitos Atropos predatrix occupat artus,  
nec sinit ut doleat peniteatque miser.  
Iure vides igitur quod recta ligatio nectit  
"inmundus mundus" hec duo verba simul."

---

"Hactenus unde dolor et que fomenta doloris  
vidimus, inventa perfiditatemali:  
nunc opus est, morbumlevisut medicina refrenet  
atque hostem faciat hostis abesse suum.  
Primitus insanas lacrimarum pelle procellas,  
quarum coniugio perditur omne bonum:  
nam dolor accumulatur vires, ubi planctus abundat,  
tristitiamquemaliduplicat ipse sui.  
Si mala dat planctus, malus est hic ergo, necesse;  
si malus, ergo nocet; si nocet, ergo fuge.  
Contra merorem, cape gaudia, velle refrena,  
atquemalifinem semper adesse puta.  
Grata superveniet que non sperabitur hora,  
que compensabit fellea prisca favis.  
Una serena dies multorum nubila pensat,  
et luctum, tergit quod facit unda, solum.  
Fortunam dimitte vagam, permittite vagari,  
que nunquam stabili ludere fronte potest.  
Contra Fortunam sis constans, sis patiens, sis  
ferreus, adversi te neque frangat hiems.  
Fortuna ridente gemas, plorante ioceris:  
ipsa sit auspitium tempus in omne tuum.  
Cuncta rotat fortuna rota, qua cuncta rotantur;  
sic tenui magnus orbis in orbe perit.  
Firmus in adversis piger ad mala, tardus ad iram,  
promptus ad obsequium, triste ad omne nefas.  
Sis tibi discipulus aliisque magister, et intus  
sis tuus, extra sed totus alius eris.  
Virtutem pete sed vitium fuge, quod sit honestum  
quere, quod utile; quod turpe fugando fuge.  
Amplexanda tibi, cleri thesaurus, honestas  
et ratio, populis heu! modo rara comes.  
Ne viscosa manus oleoque nec uncta sit, immo,  
inter utrumque tenens, respuat omne nimis.  
Inter Democritum tristemque Demostena curre,  
inde statum libret virgo modesta tuum.  
Stillet in ore favus, sed mente resultet oliva,  
et non sit totus sensus in ore tuo.  
Respue multivagos, stabiles sectare, caduca  
pensa, peccantes argue, siste leves.  
Dicta minus sint, facta magis, sis parcus in hymnis,  
parcus in obprobriis, largus ad omne decus.  
Factaque si desint, non desint verba benigna:  
nam multos caros mellea lingua parit.  
Maiores sectare, pares venerare, minores  
instrue; vel iuvenes punge, vel unge senes.

Ebrietatis honus fuge, sperne Cupidinis antrum:  
exulat hinc virtus hec ubi iura tenent.  
Sibila ne vulgi, nec dona retrograda cures;  
extra virtutem sit tua cura nichil.  
Si Petra sit glacies, quid ad hoc? Magis utilis esset  
paganus tibi quam Clagiver, uncus homo.  
Aurum plumbescit, quid ad hoc? Et nectar acescit;  
quodque Monarcha negat sepe tetrarcha facit.  
Ergo Dei primo confidas in bonitate,  
et tua virtutum iure secundet eam.  
Natura contentus eris; mala scandala vita,  
et tua consilium quelibet acta probent.  
Ad tempus lusor, nunquam delusor, amicus  
semper sis minus in corpore, mente magis.  
Sanctiloquos rimare libros, mansuesce rogatus;  
legibus insuda, nil nisi iusta refer.  
Paucis dedecus, omnibus obsequium, caveas ne  
frons rugosa neget quod manus ipsa facit.  
Qui decus oblatum rugosa fronte venenat,  
plus mihi diabolo displicet ille dator,  
Dona serenus homo carumque serenat amicum,  
atque datum facie duplicat ipse suum.  
Nil nisi quod dederis promittas; namque trutanam  
esse facit linguam sepe ciragra manus.  
Mallem te podagram quam taliter esse ciragram:  
invalidis pedibus auxiliantur equi.  
Quod donare velis, dones sine spe redeundi,  
ne quod aperta dedit, detrahat unca manus:  
nam dator ablator cancrum gradiendo figurat,  
quem cancrum faciat dedecus esse suum.  
Nec circa famulos te pessima consiliatrix  
concitet iratis vocibus ira gravis:  
maior enim virtus clementer habere clientes  
quam quos maiores efficit ipse gradus.  
Ne sis linguosus, nec in omni fame mutus,  
sed sola studeas utilitate loqui.  
In te cognoscas alios: magis utile nil est,  
et magis urbanum nullus in orbe potest.  
Ne sit amica tibi pregnans extensio ventris:  
nam nimis est miserum corpus hebere cibis.  
Nulla minor virtus sotium quam vincere mensa,  
et sacco ventris equiparare peram.  
Ipocrite vitium, Simonis contagia, que nunc  
clericus omnis amat, sint inimica tibi.  
Accusare cave, quem non accusat abusus,  
ne, male procedens, tu patiaris idem.

Prospera non semper, nec queras semper amena:  
non semper dulcis lingitur ore favus.  
Non omni pratum festivant tempore flores,  
nec semper viridis purpurat herba solum.  
Utere discretis, quibus inclita vita sit, unde  
iam nisi discretum sumere nemo potest:  
namque bonis bona, sed de pravis prava trahuntur:  
dulcia de dulci palmite vina fluunt.  
Non rosadat spinas, quamvis sit filia spine,  
nec viole pungunt, nec paradisos obest.  
Plus tibi sit carum mundum quam mundus, amicus  
quam sotius, quam sit sanguinis ipse gradus.  
Ne nimium stolide te credas credulitati:  
nam plus quam Scarioth tradit illa viros.  
Non magis Yconium Fredericum tradidit olim  
quam nunc credulitas suspitiosa suos.  
Plurima sustineas: iungo medicamina morbis,  
ut multum morbum multa medela fuget.  
Ut varias optant diversa negotia leges,  
sic varias físicas invaletudo tremens.  
Hee succos, hee semen amant, hee cortice gaudent,  
his coma, radices, his medicina favet.  
Freneticos malve, colicos absinthia curant,  
empicus anetum, lac quoque spasmus amat.  
Sic non offitium celebrat quinarius unum  
sensus, sed propria quilibet arte viget.  
Ille colores, ille sonos, sapit ille sapes,  
alter odoratus; alter amena sapit.  
Tu quoque, quem nimio vitium deforme fatigat  
pondere, virtutum pocula plura bibas.  
Sit tibi cara tui victoria plus aliena,  
et te plus aliis vincere Marte stude.  
Crede mihi, magis est virtute domare te ipsum,  
quam vice Sansonis sternere mille viros.  
Quemlibet offitiis Â, ne queras quis sit Â, honora:  
nam multos claros letus amicat honor.  
Gressibus assiduis quisquis bene querit honorem  
reciprocis gradibus hunc quoque querit honor.  
Blandus adulator et proditor impius, equo  
semper, dum vivis, sint in amore tibi:  
nam naturali blanditor iure tenetur  
risibus et faleris proditor esse suis.  
Fistula dulce canit, michi si non, crede Gatoni,  
dum lira dulcisono carmine prodit aves.  
Nec nimis astutis vulpescat lingua loquelis:  
nam dubiam pariunt vulpida verba fidem.

Neve tuum iactes alienum, deprecor, hymnum  
ne volucrum sinodo nuda cachinnet avis.  
Numquam cervicem sine cauda pingere temptes:  
nam sine fine suo primitiare nocet.  
Mutus ad obprobrium, surdusque ad murmura, cecus  
ad vanum, stolide claudus ad artis iter.  
Hymnificet de te tua non, sed vox aliena:  
nam bene festivos stercoret illa viros.  
Sit tibi plus inimica noverca superbia morum,  
quam que Christicolae gens Saladina necat.  
Sitque magis solito tibi gustus amoris amarus:  
nam scio, quod scio, quod tu fere stultus amas.  
Quid tibi cum ganea? Quid cum meretricis alumpno?  
Credis tu Paridi? Stultus es atque Paris.  
Spurius ille puer nullum suadebit honestum:  
natus adulterio, semper adulter erit.  
Quos heremitat amor, potius deremitat; et ipse  
fac amet Yppolitus, mente Priapus erit.  
Est fugiendus ob ista, fide ieiunus ab omni,  
qui nimis orbiculat deque crumenat, amor.  
Proscribas igitur gladiis et fustibus ipsum,  
et fugiendo fuga quem fuga sola fugat.  
Ne te pigritie consors dilatio tardet:  
ad bona nam cupiens omnia tarda putat.  
Nammora denigrat donum meritumque minorat;  
sed cita grandificat munera parva manus.  
Ne credas solos magnates esse timendos:  
est fidus socius, est et amicus amans.  
Maior honor Piladem carumque timere sodalem  
quam Sirie regem cesareosque duces.  
Invidians fugias morsusque sororis iniquos  
que rabido clarum dente caninat opus.  
Nec te pretereat humane sortis origo,  
terrea testa, luti gleba, miserque cinis.  
Heu, caro nostra, dolor, plus flore caduca caduco,  
qui parvo spatio fit puer atque senex!  
Quam fragilem textrix contextit aranea telam,  
tam fragili tegitur tegmine vita brevis.  
Quemlibet in propriis gradibus probitatis honora,  
optimitas tibi sit plus bonitate placens.  
Simplicitate fruens, hic scotica fercula miscet  
qui plus atque minus equat honore pari.  
Fermentat claros numerosa pecunia mores,  
que tibi si fuerit hospes, et hostis ego.  
Moribus excultus, sincerus mente, modestus  
actibus, exemplum voce, rigore gravis.

Dura, modesta, probis; patiens, maturus, abundans:  
perfer, ama, tribuas; mente, vigore, manu.  
Contra ventosas rabies et fulminis ictus  
plus quercu solida lenis arundo potest.  
Prevalet in cunctis discreta modestia rebus,  
qua sine virtutum grande peribit opus:  
nam pravis dare, nil aliud quam prava fovere;  
unde probis tantum debet adesse manus.  
Sint licet obscuro, ne spernas corporis artus,  
in quibus ingenium plus brevitate potest.  
Lampadibus templum ditans, dulcore palatum,  
est brevis et fructu duplice servit apis.  
Est brevis accipiter, volucrum tamen obruit agmen,  
et fugat elatum vipera parva bovem.  
Sit tibi perpetuum spolians derisio dentes  
hostis, et insidie et dolus illud idem.  
Discretus, sapiens, urbanus, largus, honorus,  
providus, intentus, strenuus esto, vigil.  
Scripta legens veterum, rigidum sectare Catonem,  
morigerum Senecam, pacificumque Probum;  
Dulichium, Adrastum, Ciceronem, Nestora, Titum:  
pectore, consilio, more, loquendo, manu.  
Indue virtutum trabeam, mentemque trutanam  
exue, quere honum, despiciasque malum.  
Non Ypocras, non ipse suis Podalirius herbis,  
non (licet ingenium fundat Apollo suum)  
omnia verbosis memorent medicamina linguis;  
que si temptarem singula, tempus abit.  
Et michi Secaneos, ubi nostra palatia, muros  
(sic stat propositum mentis) adire libet.  
Ergo dicta tuis iungas medicamina morbis,  
et quecunque vides proficienda tibi.  
Litibus hostis, fraudibus hostis, criminis hostis,  
et que depravant omnibus hostis eris.  
Iuris amicus, honoris amicus, amicus honesti  
et que iustificat rebus amicus eris.  
Hec precepta libens vigili trahe morbidus aure,  
que permixta simul combibe, sanus eris.  
Et licet hec bona sint, multo potiora relinquo  
que non sunt humeris offitiosa tuis.  
Hec tibi sufficiant: non omnia possumus omnes;  
tu quod habere vales, suscipe: velle sine.  
Argento fruitur, rutilans cui deficit aurum,  
et violas carpit qui nequit ungue rosam."  
Tunc iter arripiens ait: "Hec, Henrice, reconde."  
Et finem verbis hunc dedit illa: "Vale."

O meus alter ego, probitatis alumpnus et hospes,  
Lognepres, Henricum mente resume tuum.  
Nulla remota via solidum partitur amorem,  
et quem partitur integritate caret.  
Nec mons, nec planum, nec pars spatiosa marina,  
disiungunt hos quos copulat unus amor.  
Lognepres, unde locus quod amor dimittat amorem?  
Talis ab oppositis dicitur esse locus.  
Ergo, ut vivat amor, concordia donat et unum  
Velle duos unum mentibus esse facit.  
Tuque, nec inmerito, cui nomen floris adheret,  
Florenti, famulum mente resume tuum.  
Pareo tibi, quia parco tuis, flos inclite, culpis,  
ni tua vivifices risibus acta tuis.  
Suscipe millenis citharam quam dirigo nervis,  
Orpheus ignota carminis arte rudis.  
Inclite, cui vivo, si vivo, provide presul  
Florentine, statum scito benigne meum.  
Sum passus gravia, graviora, gravissima, quarto  
passio, si velit ars, possit inesse gradu.  
Ergo vale, presul; sum vester, spiritus iste  
post mortem vester, credite, vester erit.  
Vivus et extinctus te semper amabo; sed esset  
viventis melior quam morientis amor.